

Dissertationes Scholastica de Metaphysica, in quarto.

Dissertationes Scholastica de Anima, de *Ortu & Interitu*, de *Cælo*, in quarto.

Conciones panegyrica, itemque *morales hispanæ, Prolusiones* que & *Orationes latina*, in quarto.

Laudant virum gravissimum P. Nicolaus de Segura passim in Tractatu suo de Beatissimâ Virgine, & P. Vincentius Lopez in Opere Mss, quod legimus, Secula Conceptionis Marianæ, Seculo 18. pag. 817. nosque in Tractatu nostro de SS. Josepho multoties.

366 D. ANTONIUS DE PIMENTEL ET SOTOMAIOR, Natione Mexicanus, in famosa Habanæ Civitate Clarissimis ortus Parentibus, Mexicum translatus in tenera ætate, ut litteris imbueretur Collega factus in Regio S. Ildefonsi, brevi in Latinitate profecit abundè, ex inde haud minores in Philosophia fecit progressus, mox grandes ad eum in Theologia nactus, nulli ut æqualium concesserit, destinatusque à Collegio suo fuerit pro majoribus, ut dicimus, Conclusionibus propugnandis per integrum diem, scilicet, decem & octo matutino tempore Theosophiæ Scholasticæ titulis, sex vero vespere ex utroque jure petitis, singulisque questionibus multis scatentibus & gravioribus, Mæcenatem agente Illmò. D. D. D. Joanne Ignatio de Castorena & Urtua, ejusdem

Collegij ornamento clarissimo, ad Jucatanenses Infulas evecto, cui subinde Scholarum ritu Socij gratulabantur. Theologicis Studijs Jurium professionem adjecit, laureasque reportavit in Academia Mexicanaensi, è qua tandem Doctor Theologus multo cum Minervæ plausu merito evasit.

367 Apud Collegium suum Regiam, quam Oppositionis trabeam dicunt, obtinuit, cui argumentis, prælectione, & similibus viam stravit. Cathedræ præfectus erectæ in Universitate pro Magistro Sententiarum interpretando ab alumno dicti Collegij, suas industriè partes implevit, non secus ac expleverat officia Candidati horarij relectione idque genus alij certans honorique eximio proludens. Interea sacris initiatur, & à Fidei Quæstoribus Censor deligitur; venienti autem pro regendâ Michoacanensi Ecclesiâ Præsuli D. D. Francisco Martheos, viro Doctissimo, percharus fuit, quòd ingenuus ornatus moribus, & omnigenâ inventus fuerit dives eruditione, cum in amœnioribus litteris, historiâ, & criticâ, tum in universâ Theologia ac Jurisprudentiâ, inter que sibi intimiores adlectus, Diocesi visitandæ destinatus, deinde Ecclesiæ Parochiali Vallis S. Francisci præpositus, huic tandiu muneri invigilavit, quousque vacante in Cathedrali Vallisoletanâ ejusdem ditionis Canonice tu Lectorali, ut ajunt, seu pro sacris

sacris Biblijs exponendis, factò que Doctorum concursu, eodem Regia præsentatione potitur ad præsens. Scripsit Antecessoris munus adimplens,

Commentaria in selectas libri primi Magistri Sententiarum distinctiones; ut è libris Academicis pro *Lectionibus signandis* eruiamus.

Descriptionem totius Provinciae Michoacanensis, quam Mss servat, cum *Sermonibus, Prælectionibus, multisque cultoris litteraturæ opellis*.

368 FR. ANTONIUS DE POSADA, Natione Mexicanus & Patria, Ordinis Minorum alumnus in Provinciâ S. Evangelij, Ecclesiastem agebat Cænobij sui apud Urbem Portumque Veræ Crucis, cum defuncto nuper Catholico Hispaniarum Regi, Carolo II. justa persolvit inelytus Ordinis Jacobæi Eques Ductorque, Classis ibidem reditum in Hispaniam præsolantis D. Emmanuel de Velasco & Texada, jussusque Noster è suggestu sacro coram floridissimâ coronâ, vita functi Caroli enarrare præclara gesta, Panegyrumque funebrem institueret, dixit quidem apposituissime, typisque exculus prostat ejus

Funebris Sermo in exequijs habitus ad S. Francisci Civitatis de Vera-Cruce magno Regi nostro Catholico Monarchæ D. Carolo II. Mexici, apud Joannem Josephum de Guillella Carrasco 1701. in quarto. Habetur tom. 89. Collect. nost.

369 F. ANTONIUS DEL POZO, Natione Hispanus, apud

Utreram, quæ Villa est Diocesis Hispanensis, natus, Domicilium totos 28 annos Mexicanum tenuit, quòd è Provincia Bætica Prædicatorum, in qua Professionem emisserat, in Goaxacensem à S. Hippolyto Martyre, ejusdem instituti anno 1595. devenerit, cum hæc à Sanjacobæâ Mexicæ tandem fuit separata. Ut Indis regionis prodesset in sacris ministerijs, idioma duo exactè didicit, Mistecum, scilicet, & Zapotecanum, in quo potissimum excelluisse, & Sodales testantur, & conscripta ab ipso opera ostendunt, ac junctum ei munus & honos Prædicatoris Generalis in ea lingua declarat. Quantum verò in Theologia doctus extiterit, inde conjicimus, quòd à Quæstoribus Fidei Mexicis, ne dum pro expurgandis libris institutus fuerit, sed etiam Qualificator, ut dicitur, seu à Centuris Theologicis; palamque sit monumentis, quæ edita reliquit, atque ut socius ejus in Millione exaravit P. Præsentatus Petrus Romero: *Verè erat vir Doctus & Apostolicus, & inter Zaapotecos primus. Vicarium agens, Conventus à S. Anna Zecacahue, denatus est die 22 Aprilis anno 1623, ætatis fere sexagesimo, & ab induto habitu 40. Edidit librum latino sermone hoc titulo*

Monastica Theologia, continens Dubia & Acroamata circa Leges & Statuta, quibus Prædicatorum Familia Professores adstringuntur.

rum: nec non circa tria vota Religionis essentialia, &c. Mexici, ex Typographia Baccalauri Joannis de Alcazar 1618.

Hispano sermone in lucem dedit

Sermonem de S. Joannis Evangelistae laudibus. Mexici, eisdem litteris 1621. in quarto. Extat in Collect. nostra tom. 57.

Inter Mss habent Sodales Goaxacenses

Artem idiomatis Zaapotecani,

Quae anno 1746. extabat apud Patrem Praedicatorum Fr. Josephum del Castillo, Vicarium & Parochum Monasterij & Paracie de Teutitlan del Valle.

Præterea multos in eadem lingua *Sermones, curiosasque ejusdem observationes.*

Meminerunt ejus, qui Scriptores Ordinis Praedicatorum in annos redegerè, quos tamen relata à nobis scripta latuerunt omnia, interim afferentes Opus aliud quod nos fugerat, nempe,

De Auctoritate Vicariorum & Parochorum Nova Hispania. Vide sis tomum secundum pag. 395. ad annum 1615. ubi Dominicanum aequalem & gentilem Nostri Fernandez afferunt ejus memorem in Historia Rosarij lib. 9.

369. F. ANTONIUS RAMIREZ DE UTRILLA, Natione Mexicanus, Goatemalensis Patria, Provincia Franciscanorum Observantium à SS. Nomine JESU nuncupata nomen dedit, atque ab eisdem Magistris Philosophia

imbutus atque Theologia, loquendi etiam & scribendi peritia in idiomate Goatemalensibus Indis vulgari, non vulgari floruit eruditione, quam ut Sodalibus libens communicaret, qui illarum vacant gentium institutioni sacra, librum conscripsit spisso volumine in quarto complectentem,

Decora laudesque Sanctorum; item de Animabus expiatorum ignem patientibus, & de ultimo affectus supplicio Sermones, ac tandem methodum Indis auxiliandi in extrema vitae periodo.

Opus hoc teri Mss Parochorum Seraphicæ Familiæ manibus, humanissimi PP. datis ad nos litteris testes sunt.

370 D. ANTONIUS RAPHAEL NUÑEZ DE OLACHEA, Natione Mexicanus & Patria, post imbibitam Latinitatem & Philosophiam, laureâ redimitus, utriusque Juri operam strenuè navavit, gradibusque insignis minoribus, majora propterea, quibus oppido dignus erat, non tulit, quod eris angustia pro sumptibus necessarijs ipsum cohibuerit. Patronus Causarum, non sine laude Senatorum, rite institutus; sacris tamen addictior muneribus initiatusque Sacerdotio, Ecclesiasticis se totum exercitijs impendit. Academiæ Domi propriæ à se in Studentium commodum Clericali inhiantium statui constituta, præfuit, egregio sociorum profectu, qui accuratâ Moralis Theologiæ disquisitione com-

comparabant se, cum ad subeunda publica examina, tum etiam ad ministrandum, qua decet peritiâ Penitentiae aliaque Sacramenta, Divinas, industriè & ex animo litteras coluit, & ut erat ingenio ac cæteris dotibus, in primisque eloquentiâ ad dicendum aptissimus, facili negotio, & ferme extempore sapienter ac felicissimè concionabatur, doctis quibusque viris facundiam ejus & eruditionem mirantibus. Ad hæc optimis erat moribus, & insigni aduersus Sanctissima Deiparæ Genitorem JOACHIMUM pietate, quam ut propagaret in plures multas agebat, editisque opusculis procurabat. Obijt præpore hoc, quo scribimus, anno 1751. præterito Aprilis mensis.

Edidit hispano sermone

Tridem pacis nuntiam, seu pium Deum inter & homines mediatorem D. Joachimum. Mexici, typis D. Mariæ de Ribera 1749. in octavo.

Auream Coronam in mensium anni circulo efformatam: hoc est, Pie in S. Joachimum pro singulis mensibus devoriones. Mexici, eisdem litteris 1750. in 16.

In ejusdem S. Nomen devotionem. Mexici, dictis mox formis 1747. in 16.

371 F. ANTONIUS DE LOS REYES, Natione Hispanus, Octoduri genitus, & Salmanticae ad S. Stephani Dominicanorum ijs se Professione jungens, Mexicanae S. Jacobi ejusdem instituti

Provinciae anno 1555. se adscripsit, in qua ad obitum usque Domitium defixit, tenuitque annis 48. ejus ad posteros virtutis magno nomine perennante, uti Author est F. Alphonsus Franco in Historia Provinciae suae Mexicanensis Mss. Lib. 1. cap. 47. ubi etiam tradit litteras imbibisse in Universitate Salmanticae; atque hujus standum narrationi lentimus, qui res propius Familiæ Praedicatorum Mexicanensis intuitus est, exterisque enuclearius aperuit, proptereaque ab *Scriptoribus Ordinis Praedicatorum* in praesentia recedimus, Antonium Mexicanum ortu & professione existimantibus tom. 2. pag. 320. Scripsit publicique juris fecit

Artem Linguae Mistece, Vicarium agens Monasterij de Tamazulapa in qua Arte uti advertit Davila pag. 654. n. 16. præter ad idioma perdiscendum monita, plura inveniuntur pro annorum ab Indis factâ supputatione, proque ipsorum Historijs scitu dignissima. Mexici, typis Petri Balli 1593. in octavo, uti vidimus ad Paulianum S. Augustini Mexicanum. Quamvis D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispaniae Nova tom. 1. p. 123. aliam referat editam à Nostro

Artem Linguae Mexicanae;

Opinamur tamen delusum fuisse, quoniam credere haud valemus, eam latuisse oculatissimos Historiographos D. F. Augustinum

Davila Padilla, & citatum F. Alphonsum Franco, qui non diu à Noltri morte scribentes, alium de Mexicana Arte silentium habent laudantes interea Mistecam. Meminerit quoque Antonij Laffor Avarea in Orbe tetrarum Scriptorum calamo delineato, verbo *Mexicus* Libri editionem afferens anni 1594. in quart. & Leon Pincelus in Epitome Bibliothecæ Occidentalis additæ tom. 2 col. 725. qui Artis itidem Mexicanæ mentionem habet, afferens D. Nicolaum Antonium ambigere, an hujus idem Author fuerit ac artis Mistecæ, cum tamen dubius ille haberet non circa Authoris identitatem, sed penes Operis unitatem. Altamura itidem Dominicanus ad 1597. Nostrum commendat.

† 372 F. ANTONIUS DE LA RIBA, Natione Mexicanus & Patria, Instituta Dominicana in Provincia S. Jacobi professus est; ab utroque suggestu ritè & appositè frequentato jure laudatus, Theologicisque litteris doctus, & oratorijs instructus partibus, quâ in majori Seraphici Patris Mexicano Conventu, die eadem Sancto devota, dixit coram amplissimâ Sapientum & Nobilium cõtonâ, edidit

Panegyrim de S. Parente Francisci. Mexici, apud Hæredes Viduæ Francisci Lupercio 1712. in quarto.

† 373 P. ANTONIUS DE RIBADENEIRA, Natione Mexica-

nus, cujus Patriam ambigimus, stirpem nobilissimam scientes, JESU Societatis alumnus, egregiè amcenioribus litteris eruditus, juxtâque Philosophicis clarus ornamentis atque Theologicis, ingenij sui & eruditionis specimina reliquit edita, alterum latino sermone, hispano alterum, scilicet his titulis:

Discursus Apologeticus Sapientie vindex: habitus in Scholis Societatis Jesu fundatis in Collegio SS. AA. Petri & Pauli, presente Excmõ. D. D. Duce de Albuquerque, &c. pro studiorum instauracione. Mexici, ex Typographia Joannis Ruiz 1653. in quarto.

Concio habita in festo Juramento que prestito à Sodalibus Purissimæ Conceptionis in eodem Collegio, in contaminatam à primo instanti Deiparam propugnandi. Mexici, litteris V. Bernardi Calderon 1654. in quarto. Legitur tom. 95 Collect. nostræ.

† 374 D. ANTONIUS DE RIBERA, Natione Mexicanus, incunabula apud Urbem Potosinam à S. Ludovico dictam in ditione Guadalaxarenfi Novæ Gallicie nactus, Academiam Mexicanam, litteris ut incumberet, precipue que utriusque Juris peritiam imberet, à teneris petijt, donec egregiè doctus, nec ab Scholaribus modò probatus, sed verò etiam à Senatoribus & forensibus, Causidicos inter multi nominis floruit & gloriæ. Edidit vernaculo idiomate

Fundamenta pro definitiva sententia, quam, i pso juris dicendi causa assidente, pronunciavit ordinarius Judex in causa hereditatis, &c. Mexici, typis Viduæ Michaelis de Ribera 1714. in quarto. Extat opus tom. 8. Collectionis D. Ludovici de Mendoza.

Allegationem Juridicâ pro D. Joanne Baptista Lopez in negotio civili contractus. Mexici, Litteris Francisci de Ribera Calderon 1716. in folio. Habetur eodem tomo Mendoziano.

Juris Allegationem pro D. Francisci de Aguirre Gomendio de Prelacione in concursu creditorum, &c. Mexici, formis H. V. Michaelis de Ribera 1718. in folio. Extat tom. 9. Nostræ Collectionis.

Accusationem coram Ecclesiastico institutam Mexiceo adversus Josephum de Estrada Tuñon in causa Immunitatis, &c. Mexici, apud Franciscum de Ribera Calderon 1720. in quarto. Habetur tom. 16. Collectionis nostræ, & tom. 7. Collectionis Mendozianæ.

† 375 P. ANTONIUS DEL RINCON, quem Bibliotheca Societatis Hispanum natione dixit, quòd ab Hispano parente genitus, quò etiam titulo Hispani sunt nominanturque omnes fere (exceptis videlicet quos ab Indis profectos apertissimè scribimus) quos Mexicanos natione in Bibliotheca nostra leges; Natione dicimus Mexicanum, propterea quòd natus fuerit in America Mexicanâ, non quidem Angelopoli, ut in

citatâ Bibliothecâ Societatis habetur, sed in Urbe non longè à Mexico dislita, olimque Regibus & multis dotibus præclarissimâ, Texcuco, quæ etiamnum clara viget & fidelissima. Hispano quem traxit sanguine à genitore, nobiliorem maternum junxit è Regiâ Texcucanorum stirpe ductum, ut Author est P. Florencia lib. 3. cap. 8. num. 143. Historiæ Provinciæ Novæ Hispaniæ Societatis JESU, quam Antonius 18 annos natus ingressus est, vertente anno Domini 1573. in quaque opportuno tempore quatuor nuncupatis Deo votis professus est, gradumque subinde expectatus in Familia sua indeptus. Decoris fuisse magno Provinciæ suæ, cui exatillimè deservivit, idem Historiographus attestatur, pollicereturque plura se de eo propria locaturum in sede. Quòd tamen alterum Historiæ tomum in quem Nostræ aliorumque Acta reservaverat, non ediderit, latent nos quidem illustria, quibus has libenter paginas implemè, contenti eis interim, quæ habemus comperita, laborasse nimirum egregiè ad mortem usque pro juvandis Indis in negotio æternæ salutis, quòd Apostolicum virum accēbat maximè, sacris ita expeditionibus deditum, ut etiam dimidio paralyticus corpore, duodecim tamen annis, statuto sibi tempore eisdem agendis constanter insisterit. Denatus fuit pro-

pe Angelopolim anno 1601. die 2 Martij. Theologicis quibus emittit litteris Philosophicisque, insigni adjectâ idiomatis Mexicanâ peritiâ clarior evasit longè, multisque utilior, qui è Discipulis Magistri item ipsi Indorum in spiritualibus creati sunt ab ea quam edidit,

Grammatica Lingua Mexicana. Mexici, typis Petri Balli 1595. in octavo.

Hanc profecto Artè, in qua se non minus decennio posuisse Author testatur in Nuncupatoria; quotquot è Societate, & multâ exteri Mexicanæ Linguae hauriendâ se dederunt ad annum usque 1647. propositam sibi habere, ut expeditissimam brevitateque commendabilem; cui deinde superfederunt, alteram insequuti, quam uberiorem condidit Nostri discipulus P. Horacius Carochi pro ut indicato loco tradit Florentia, Antonij Elogium brevi complexus, itemque in Menologio die 2 Martij; quem etiam laudat P. Rivas in Triumphis Nostre Sanctæ Fidei Lib. 12. cap. 10. D. Nicolaus Antonius in Bibliothecâ novâ pag. 123 & Bibliothecâ Societatis pag. 83.

376 F. ANTONIUS DEL RINCON, Natione Hispanus, Patria Hispalensis, Domicilio Mexicanus, Instituto Franciscanus, Jucatanensis Provinciæ alumnus, scripsit

Sermones varios,

Quos admodum utiles dicit

Historiograhus P. Cogolludo, & ex eo Epitome Bibliothecæ Occidentalis Pinelianæ tom. 2. col. 722.

377 FR. ANTONIUS RIZO, Natione Mexicanus, incunabula apud S. Ludovici Potolimi Urbem fortitus, Provinciæ S. Francisçi Zacatecanorum alumnus, optimè in Theologicis rebus instructus, suggestui sacro multis ex munere annis incubuit, donec Prædicatoris Generalis titulum reportavit. Domi forisque magni habitus, Examinator Synodalis institutus est & à Goadalaxarensi Antistite & à Durangensi, Fideique Quæstores Mexicci à Censuris ipsum esse, subscripto Titulo, decrevere, Familia verò sua semel & iterum solennibus in Comitij Provinciali elegit, quo secundum munere fungebatur anno 1747. Scripsit habetque apud se

Sermones varios duobus tomis,

Uti legimus in Catalogo Scriptorum ejus Provinciæ à citato alibi P. F. Josepho Arlegui concinnato, qui ejus etiam meminit in Chronic. ejusdem Provinciæ pag. 411. n. 47. nec sine benemeriti viri elogio.

378 D. ANTONIUS ROBLES, Natione Mexicanus & Patria, Præbyter Secularis admodum eruditus, cum in Historijs, præcipuè Americanis, tum etiam in Theologicâ & Canonicâ Facultatibus, moribus itidem Sacerdotice dignis floruit apud Collegium

à S. Petro Mexici dictum, pro Clericis institutum, qui & infirmis amentibusque deserviant in Valerudinario penes ejusdem Collegij ædes erecto, & Fidelium confessiones excipiant in Ecclesiâ à SS. Trinitate nuncupatâ eademque adjunctâ, ac vocari diu noctuque ab exteris egrotantibus, præstò sint eidem invigilaturi muneri sacro. Hæc Nolter obivit industriè, Sanctimonialibusque à S. Agnetæ nuncupatis à sacris fuit: studijs interea incumbens & scriptis, quæ vidimus ac legimus. Edidit sermone patrio

Defensionem Jubilei anni sancti pro eo qui veritatur Christianæ epochæ anno 1700. Mexici, apud D. Mariam de Benavides eodem anno in folio.

Scilicet, excitatâ Mexici controversiâ de Sacrarum Indulgentiarum suspensione anno Seculari jam dicto, contendentibus que nonnullis duce viro Clarissimo P. Joanne Martinez de la Parra, Societatis JESU, minimè habendas pro suspensis esse ab Americanis, propterea quòd lateret nos Romani indictio Jubilei, cui forsitan superfederat Summus Pontifex, penes quem auctoritas est & libertas designandi tempora pro eo intra Romana pomeria lucrando, intereaque cætera alibi istiusmodi indulta suspendendi; contra tamen communissimis calculis Doctores cæteri, quibus prævit gravissimus

D. Alphonfus Albertus de Velasco, edito ea de re Opusculo, existimant, nulli dubiam Jubilicæ indictionem habendam, quam Romani Pontifices fixam tandem quarta quaque seculi parte fecerant; atque ijs Nolter subscribens doctam & eruditam, quam diximus, publicavit Dissertationem.

Reliquit *Mss Tomos duos in folio*, quos Patribus Congregationis Oratorij Mexicci legavit, in quorum Bibliothecâ multoties illos, nec sine fructu, evolvimus, scilicet

Diarium, Notas, & Historicas de occurrentibus varijs enarrationes pro rebus præcipuè America memoria tradendis.

Præterea collegit distribuitque in aliquot tomos in folio *Monumenta multa edita & etiam Mss valde pro Historia & Eruditione utilia.*

379 P. ANTONIUS RODEIRO, cujus Natio & Patria in ancipiti nobis sunt, Societatis JESU alumnus in Provincia Novæ Hispaniæ, Philosophiâ eruditus atque Theologiâ, apprimeque in amenioribus litteris & oratoriâ sacra versatus, è multis, quas scripsit, orationibus doctis ac pulchris, unam, quod sciamus, edidit vernaculo idiomate

Orationem in gratiarum actionem pro recens condito Goadalaxare in Novâ Galliciâ Monasterio Recolletarum à S. Monica Virginum Ordinis S. Augustini. Mexici, ex

Typographia Hæredum Michaelis de Ribera 1720. in quarto.

380 FR. ANTONIUS ROMO, Natione Mexicanus & Patria, Institutum Seraphici Parentis amplexatus fuit nuncupatis votis in Excalceatâ Provinciâ S. Diodaci Mexicanâ, cujus Philosophiæ candidatis è suggestu dictandum scripsit

Cursum Philosophiæ.

Ejus meminit Medina in Chronicis ejusdem Provinciæ fol. 66. n. 217.

381 P. ANTONIUS RUBIO, Natione Hispanus, Patria Rondenſis, Mexicanus Domicilio, Instituto & Professione Societatis JESU alumnus Clarissimus, ipsam Compluti 21 ætatis anno amplexatus 1569, Philosophiâ que apprime eruditus atque Theologiâ, Socijs qui nuper in Hispaniam Novam trajecerant, aggregatus Mexici constitit. Erectum recens fuerat Maximum SS. AA. Petri & Pauli Collegium pro Grammaticâ, Rhetoricâ, Philosophiâ, & Theologiâ tradendis, & ubi P. Doctor Petrus de Ortigosa Cursum triennio Philosophicum multo cum audientium emolumento perfecit, susceptus ei fuit Antonius ut secundo quidem omine ejusdem facultatis Cursum auspicaretur. Et hercle tam ille perfectus omnibusque numeris absolutus evasit, ut typis postmodum excusis Europæ, sapientum plausus hominum tulerit, eximioque in honore Compluti

faerit, ut infra P. Alegambius nos in Bibliothecâ Societatis docebit. Noster intereâ à Theologiam in eadem palestrâ annis duodecim è suggestu professus, gloriam ab egregiâ comparatam doctrinâ faciliè adauxit. In Universitate Mexicanâ Doctorali inaugurandus pileo, pro Licentiæ gradu tenendo 12 Martij 1595 doctissimâ per horam habitâ, ut fit, Prelectione in sextam Libri tertij Magistri Sententiarum Distinctionem, coram Theologorum Confessu in Capitulare Metropolitanæ Ecclesiæ Aulam, ut moris est pro his nocturnis exercitationibus, convenientium, proluit, plaudentibusque doctissimum virum hominibus sapientissimis Licenciatus Doctorque deinde in Theologiâ creatus est. Totos 25 annos suam in promovendis litteris & studijs cum Collegij sui, suæ tum etiam Universitatis operam posuit, instar que Oraculi doctrinæ in gravioribus quibusque negotijs consultebatur & à Quæstoribus Fidei, & à Senatoribus Regijs, & ab ipsis etiam Pro-Regibus, quibus percharus erat omnibus & jucundus.

382 Quòd vero multis à se curis elaboratum Philosophiæ Cursum pro communi bono in publicum edere cuperet, Mexicique editionem quominus moliretur incredibilem sumptus deterrerent, imò præpedirent omnino, redux in Hispaniam, Compluti reliquum vitæ tempus perfecit

fecit, non magis litteris deditus quam virtutibus, humilitatem in primis excolens, quam in tantâ doctrinâ copiâ præse ferebat, cunctique mirabantur: egregio orandi studio multum in sacris meditationibus tempus ponebat, quam acri mortificationi sociabat quotidianis sc̄ verberationibus, supra quam ætas & vires ferrent, discrucians, donec 8 Martij anno Domini 1615, ætatis supra 67 in cœlum, ut pium est credere, emigravit. Funeri ejus religiosæ Familiæ, nobiles quique civis, Academici viri interfuere, gravissimi jacturam Magistri dolentes, & mœstissimâ pompâ insignem sanè hominem coherentes. Quòd ad ejus attinet Scripta, placet Bibliothecam hîc Societatis transferre, quæ porro ita habet.

Edidit juxta molis

Commentarios in universam Aristotelis Logicam partibus 11. Colonia, sumptibus Arnoldi Milij Birchmanni 1605, quibus titulum fecit

Logica Mexicana. Recudit

Eisdem Commentarios in compendium quasi contractos, in gratiam Academiæ Complutensis, qua publico decreto suis Professoribus eos explicandos juvenuti præscripsit, curavitque decretum hoc suum auctoritate Regia firmari, & ita multis annis iduravit, Prodiere (nifallor) primum Valentie 1607, postea Colonia apud Joannem Kinkium 1609, & rursus 1615.

Commentarios item in alios Li-

bros Aristotelis de Physico auditu prius editos Martii apud Ludovicum Sanchez 1605, tum in breviorem summam redactos, rursus vulgavit Valentie (nifallor) ac subinde Colonia apud Cribium 1610, & rursus 1616. Prodiere etiam posthumi

Commentarij in Libros Aristotelis de Cælo & Mundo. Colonia typis Cribij 1617. Ante hos autem, vivo Authore,

Commentarij in Libros de Ortu & Interitu, seu de Generatione & Corruptione rerum naturalium, iisdem recusi typis Cribij 1619. Denique

Commentarij in Libros de Anima, ab eodem recusi 1613 & 1621. Recusi hi omnes quinque tomis in octavo Lugduni 1625.

Hactenus P. Alegambe, cui subscripsit D. Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hispaniæ Novæ tom. 1. pag. 125. Nostri quoque meminere P. Florencia in Historia Provinciæ Novæ Hispaniæ Societatis JESU lib. 3. cap. 20. pag. 186. & 187. Plaza in Chronicis Universitatis lib. 2. cap. 27. n. 255.

Hic animadvertendum existimamus delusum fuisse Fr. Joannem à S. Antonio in Bibliothecâ Franciscanâ tom. 1. pag. 125. adscribentem Logicam Mexicanam Colonia excusam anno 1605. in quarto. F. Antonio Rubio, seu Rubioni Minoritæ: quamquam verius dicendum, non Franciscanum Joannem à Sancto

Antonio falsum, sed ignorum, quem citat, Authorem Bibliotheca Barberina pag. 323. ex quo hunc ille. Scriptorem habuit. Nunquam enim vidimus, aut ab aliquo accepimus, aliam esse Logicam Mexicanam inter typis editas præter Nostri Rodensis Jesuitæ Rubij. Accedit facilis conjectura equivocationis à loco editionis, nempe Colonia, ex quo cum Logica Mexicana anno 1609 prodierit Jesuitæ, Minoritæ ibidem prodijisse dicatur 1605, promum est credere & in numero erratum, scriptumque 5 pro 9. & itidem in Authore, quamquam certum sit, esse quidem Scriptorem alium Franciscanum Antonium Rubio, de quo cum ipsa Bibliotheca Franciscana loco mox laudato, tum etiam Hispana citata nuper pag. meminere: meminere, quoque Alva in Militia pro Immaculata Conceptione; ad ipsum tamen Logicam Mexicanam haud referunt, quæ subinde solius Barberini Catalogi lapsu Nostro abjudicata videtur.

383 FR. ANTONIUS RUIZ LOZANO, Natione, ut videtur, Mexicanus, & fortè Angelopolitatus, Ordinis Prædicatorum in Provincia S. Jacobi Mexicanensis, inter Angelopolitanos Scriptores censetur à D. Didaco Bermudez de Castro in Catalogo suo n. 72. testante, cum & Vicarium egisse Angelopoli ad S. Dominicum, & recusasse tractatum hoc titulo insignem

Beatus Dominicus Speculum peccatricis Anima. Anno 1695.

Quem cum ad manus non habuerimus, typographum haud indicamus, manemusque ancipites, num iste Ruiz Lozano Author fuerit Operis, quod semel & iterum publicaverit, an scriptum ab alio & pridem excussum iteratâ editionis luce donaverit.

384 IELMUS. D. D. ANTONIUS RUIZ MORALES ET MOLINA, Natione Hispanus, Patria Cordubensis, Domicilio & muncere Mexicanus, Religiosis Ordinis Militaris S. Jacobi adscriptus dicitur ab Ægydio Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiæ Angelopolitanae pag. 91. indutusque habitum Ordinis apud ejusdem Hispalensæ Cœnobium. Anno 1556 Mesechorum egisse in Ecclesia Cordubensi, Judicemque, ut ajunt, Conservatorem Conventus Sanctimonialium Dominicanorum Ubedæ idem Historiographus fidem facit, additeque insuper Universitatis Orsonæ Visitatoris muneri alijs que incubuisse præclaris. Concionator multi suo tempore nominis fuit, nec exigua ornatus eruditione. Pro Ecclesiâ Americæ nostræ Michoacanensi Episcopus institutus, postquam non nullis ei annis presuit, in Angelopolitanam translatus ipsi se sitit anno 1573. die prima Novembris. Partes ut Prælati omnes impleret, exemplo primum egit,

virtutibus imitandum se omnibus exhibens, doctrinamque adjecit, & in pauperes elemosynas, mansuetudine clarus atque prudentiâ, quibus instructus corrigere solebat citra strepitum lapsos, sibi Deoque in primis ipsos devinciens. Scriptis etiam doctis inclaruit, quibus imitatus est & germanum Fratrem D. Ludovicum de Molina, Regium Senatorem, ab insigni, quod edidit, Opere de Primogenijs Hispanorum notissimum laudatissimumque, & Ambrosium de Morales multæ & exquisitæ virum eruditionis, pluribus voluminibus commendatum, cujus fuit ex Cecilia Sorore nepos, Meccenasque libri de S. Eulogio ab Ambrosio editi.

385 Publicavit, quæ recenset D. Nicolaus Antonius pag. 125. tom. 1. Bibliothecæ Novæ Opera, scilicet

In Benedicti Aræ Montani Rhetoricæ annotationes. Antuerpiæ 1572. in octavo. Hispano autem sermone

Regulam Ordinis S. Jacobi 1565. in folio.

Historiam Ordinis S. Jacobi, quæ an in lucem prodierit, tacet citatus, ut & præterit typographorum nomina; monet tamen haberi volumine quarto Hispaniæ illustratæ pag. 344 Ambrosij de Morales avunculi Nostri Latinam Epistolam nuncupatoriam quorundam Monumentorum de S. Cordubensibus; ejusque memi-

nisse cum laude Hieronymum Gudiel in Epitome de los Girones: Ægydium quem supra citavimus; Collectorem Bibliothecæ Gesnerianæ; & Athanasium de Lobera in Legionensis Urbis Historia cap. 8. Quibus addimus ex nostratibus P. F. Balthasarem de Medina in Sillabo Episcoporum Tlascalensium Littera O. in Chronicis Provinciæ Excalceatorum S. Didaci Mexicanæ; & Betancurtium in Tractatu Civitatis Angelopoleos cap. 4. n. 20. ad calcem Theatri Mexicani tom. 4. 386 FR. ANTONIUS RUIZ, Natione Mexicanus, in Civitate S. Ludovici Porofini admodum clarè natus, Provinciæ S. Francisci de Observantia Zacatecanorum adivit nuncupatis in ipsa Deo votis. Primos inter Familæ suæ arate, à meritis habitus, Definitoribus fuit adscriptus, Opus lato calamo concinnavit, tomum scilicet in folio,

De Divini Verbi Incarnatione,

Quem asservari in Archivio Conventus Zacatecani, constareque folijs 300, Author nobis est P. Arlegui in Catalogo Provinciæ suæ Scriptorū, sæpe nobis usui futuro.

387 FR. ANTONIUS DE SAMANO, Natione Mexicanus, Vallisolei Michoacanensium generus, Instituta S. Francisci inter nudipedes Provinciæ S. Didaci Mexicanæ amplexatus, per aliquot annos Theologiam è suggestu domesticis tradidit auditoribus, Custosque ejusdem Pro-

vinciae fuit institutus, ut Author est F. Balchazar de Medina in Chronice memorata Provinciae fol. 66. n. 216. Scripsit

Tractatus Theologicos; forsan exstantes apud Sodales.

388 D. ANTONIUS DE SA-
AVEDRA ET GUZMAN, Natione
Mexicanus & Patria, quae licet
in ancipiti fuerit D. Nicolao An-
tonio in Bibliotheca Hispaniae
Nova pag. 125. comperta no-
bis est, cum ex Operis, quod
mox indicabimus, accurata le-
ctione, tumetiam ex alijs nostrat-
um monumentis incunabula An-
tonij Mexica tradentibus, ac-
ceptaque à majoribus & erudit-
is viris notitia. Genitores nactus est
clarissimo sanguine illustres, Pro-
ayumque Comitem del Castellar
multis insignem in Hispania st-
matibus & nominibus, Paren-
tem autem vel ex ijs qui in Me-
xicana expugnatione immortale
sibi nomen peperere, vel saltem
ab eorum aliquo genus ducen-
tem. Christiane & liberaliter edu-
catus, bonisque literis institutus,
Poësim in primis coluit &
Historiam, in cujus studio sep-
timum posuisse ab ipso in Ope-
re suo acceptum habemus. In
Hispaniam trajecisse idem quo-
que Author est, testatus septua-
ginta dies navigando infimul
seribendoque Poëma, quod post
modum edidit, transgressisse. Est
verò illud hispano conceptum
idiomate atque hoc insignitum
titulo:

Peregrinus Indicus. Mantuae Car-
pentanorum, apud Petrum Ma-
drigal 1599. in 8. Spisso volumi-
no.

Poëma est Epicum, Historiam
Expugnationis Mexicanensis ob
oculos exhibens cantibus vigin-
ti graphicè delineatam, non quòd
numeris cothurnatis assurgat, si
eos ad hodiernam Hispaniam Poe-
tas elegantiam compares & pig-
menta, sed quòd pro aetate illa,
scilicet integro & dimidio ab hinc
seculo, satis exculsi sint atque
eo nomine historice conscriben-
dis tabulis aptiores longè, quia
citra fucum & cerusam res ge-
stas ob oculos ponant, quas à
testibus oculatis grandævique de-
gentibus Mexici Author acceperat.
Hæc ubi tacitus mente re-
putaverat M. F. Joannes Anto-
nius de Segura Troncoso, Me-
xicanus & ipse Doctissimus, Cri-
ticusque multà & omnigenà
dives eruditione, Ordinis B. V.
Mariæ de Mercede, in suo Seneca
Mercedensi Mss à n. 440 (de quo
sermo nobis suo loco recurrit)
vehementer dolet, nec certè de
nihilò queritur, celeberrimùm Me-
xicana Expugnationis Historio-
graphum D. Antonium de So-
lis scripsisse, Expugnationem hæc
Historià carere, quæ Historia sit,
indicatis singulis quæ prodierant
atque notatis, quæ cum Anto-
nij de Saavedra Peregrinum In-
dicum non addiderit, argumen-
to est, inquit, nunquam in illum
incidisse legendo, quò lecto, haud
ita

ita facilè omni destitutam Hi-
storià expugnatam Mexicum pro-
nunciasset, imò, ut erat in Poe-
tica insignis, hanc in Historiam
abiisse, Musis mira veraque, nec
ejunè narrantibus, hercle No-
stro plaussit, in cujus, nec
immerito, laudes præcitarus Se-
gura effunditur. Meminit ejus
Leon Pinelus in Epitome Biblio-
thecæ Occidentalis col. 605. edit.
novissimæ Madritanae.

389 F. ANTONIUS DE SALA-
ZAR, Natione Mexicanus, apud
Zacatecanorum Clarissimam Ci-
vitatem ortus, in Provincia ad-
modum illustri Minorum de Ob-
servantià ibidem florente, Sera-
phici P. instituta sacra professus,
egregià pro utroque suggestu pol-
lens eruditione, & Theologiam
è Cathedra docuit Lectoris fun-
ctus munere, & Prædicatoris lau-
ream Emeriti, habitis ad multos
annos frequentibus doctisque
concionibus tenuit. Definitori-
bus Provinciæ adscriptus pro me-
ritis, Guardianusque, ut ajunt,
datus Cœnobio del Porosi & alijs,
tori demum præfuit Provinciæ
egregio ejusdem emolumento,
quòd & Ecclesia Cœnobij Poro-
sini à fundamentis, eo fovente
& procurante, excitata fuerit, &
sacrâ pretiosâ suppellectili orna-
ta. Aliqua edidit ingenij monu-
menta, adeò quidem, judicio no-
stro, affabrè constructa, ut eis le-
ctis, doluerimus haud plura sup-
petere nobis quæ libentissimè
pascere. Sunt autem illa.

*Panegyrica Oratio habita indictis
publicis rogationibus pro felici Se-
renissima Hispaniarum Regina Ma-
rie Aloysie de Sabaudia partu, or-
tuque desideratissimi Principis. Me-
xici*, typis Luperciannis 1707. in
quarto. Extat t. 25. Collect. nost.

*Panegyrica Oratio in solenni Lu-
dovici I Asturum Principis acclama-
tione*. Mexici, Formis V. Michae-
lis de Ribera 1713. in quarto.
Habetur tom. 72. Collect. nost.

Tres alias edidisse Conciones,
quarum non nescire titulos opt-
tarem, ab Catalogo Scripto-
rum memoratæ Provinciæ acce-
pimus, quas hæctenus venari
isthæ queritantibus nobis haud
licuit. Ejus cum laude meminit
P. Josephus Arlegui in Chronice
ejusdem Provinciæ p. 409. n. 41.

*Tractationes Theologicas & Ser-
mones alios hinc addantur in votis
habemus.*

390 D. ANTONIUS SALBA-
GO, Natione, nisi fallimur, Me-
xicanus & Patria, Præbyter Se-
cularis, publici juris fecit pro fo-
vendis piorum in res Sacras stu-
dijs, vernaculo sermone,

*Orationes pias quæ quotidiana
opera Deo offerri valeant sacris
quæ Mysterijs Altaris Fideles ass-
stere religiose possint, &c.* Mexici,
apud H. V. Calderoni 1689. in 16.

391 D. ANTONIUS SALCE-
DO FITA PERALTA, Natione Me-
xicanus, in Angelopolitana Dice-
cesi natus, vir fuit multà egregius
doctrinâ, & in Theologicâ adeo
peritus, ut apud S. Inquisitionis

Tribunal Qualificatoris, ut dicitur, seu Censoris titulum & munus insigne tenuerit. Varias patriæ ditionis Ecclesias Parochiales industriè & sollicitè administravit, scilicet dictas de Tecuila, S. Joannis de los Llanos, Panotla, & Sacatenco, à quibus non modò notus fuit, sed verò etiam à litteris multo in pretio habitus. Reliquit scripta

Fragmenta moralia quinque tomis divisa, in quarto.

Sermonum, quos in præcipuis dixit festivitibus, tomum unum in quarto.

Paradoxa politico moralia in folio, cui tamen libro non nulla decesse restis est D. Didacus Bermudez de Castro in Catalogo Scriptorum Angelopolitanorum n. 49. & penes se omnia quæ regulimus authographa esse, ibidem enuntiat.

392 D. D. ANTONIUS DE SALDAÑA ET ORTEGA, Natione Mexicanus, Angelopoli natus, Antequera Goaxacensium floruit & Mexici. Latinitate doctus & Philosophiâ juxtaque Theologiâ, hujus in Universitate Mexicanensi Doctor inauguratus fuit, & inter primos ejusdem Facultatis Professores meritò ab eruditibus habitus. A prima ætate Antequeram se contulit, Episcopalem Sedem regente Illustrissimo D. D. Isidoro de Sarinana, Viro doctissimo, litteratorumque faventissimo Meconate, cui peracceptus fuit perque ita charus, ipsum

ut in Familiam asciverit, multis que cohonestaverit titulis, quòd ingenio sociatam doctrinam virtutemque in eo haud vulgarem animadverteret. A Secretis, item que à Sacris Confessionibus ipsum habuit, & Examinatorem Synodalem constituit, quibus alijs in dies accesserunt honores, cum pro egregiâ in dicendo ad animarum salutem faciendâ zeloque insigni, tum etiam pro cæteris animi dotibus & in sacris Theosophiæ aditis penetrandis fertiâ. Perillustre Collegium D. Bartholomei, quod ibidem magna sui nominis gloriâ jam pridem crexerat Illmûs. D. F. Bartholomeus de Ledesma, Dominicanus, Primariusque Universitatis Mexicæ Antecessor Theologiæ, Rectoris munere administravit, Cathedramque Theologiæ vespertinam in Regio S. Crucis Seminario moderatus est discipulorum multo cum fructu, Sapientumque laude. Adhæc, periculo factò pro Sacerdotio, ut dicimus, Magistrali alios inter petitores, ritè & pro meritis institutus est ad sacras conciones, quibus strenuè & frequenter adornâdis incubuit: inde Ecclesiasticas Dignitates Thesaurarij, Mesochori, & Archidiaconi adeptus, his eo usque muneribus usus exactè fuit, unâque Commissarium S. Inquisitionis Antequera pergit, donec in Ecclesiam Metropolitanam Mexicam translatus spectabilem se Urbi frequentissimæ

simæ dedit Præbendâ insignis & Canonicatû, longè tamen clarior doctrinâ, ob quam & à Quæstoribus Fidei Censor adlectus, & ab Archipræsule Synodalis Examinator creatus, à Sodalibus Academicis, & à doctis quibusque viris magni est ductus, interea se probitatis exemplar exhibens ad mortem usque, quam aspexit Angelopoli, ubi negotij vel rusticationis causâ devenerat. E multis à se scriptis sermonibus, plures equidem tomos impleturis, si jungerentur, edidit

Orationem Funebrem in Exequijs ductis Clarissimo Doctori D. Petro de Otalora Carbajal, Archidiacono Antequerensi, &c. Angelopoli, litteris Didaci Fernandez de Leon 1692. in quarto. Extat tom. 32 Collectionis nostræ.

Concionem à se habitam in Dedicatione Templi à Sanguine Jesu Christi, Antequera conditi. Angelopoli, apud Didacum Fernandez de Leon 1692. in quarto.

Concionem Antequera dictam in Festo Apostolorum Principis Divi Petri. Angelopoli, ex Typographia Joannis de Villareal 1695. in quarto. Legitur tom. 20. Collect. nostræ.

Conciones duas, alteram in susceptione habitus religiosi, alteram in professione Sanctimonialis ad Monasterium Antequerense à Conceptione Mexici, typis Joannis Josephi de Guillena Carrascoso 1697. in quarto. Extant t. 11. dictæ Coll.

Concionem à se habitam in Fe-

sto pro Congregationis FF. Bethlehemitarum Hospitalitatis erectione. Mexici, formis D. Mariae de Ribera 1697. in quarto.

Concionem triumphalis Servatoris nostri ingressus in Jerusalem. Mexici, litteris de Carrascoso 1698. in quarto. Extat tom. 11. memoratæ Collect.

Concionem in solenni die Pentecostes Antequera dictam. Mexici, eisdem typis & anno, in quarto.

Concionem in Dedicatione Templi Augustiniani Antequera constructi. Mexici, apud mox dictam Typographiam 1699. in quarto.

Elogia Sacratissima Religionis Bethlehemitarum in Natali Jesu Christi Domini nostri. Mexici, e Domo Michaelis de Ribera 1708. in quarto. Legitur t. 11. dictæ Coll.

Necessitates Deiparentis in obitu Jesu Christi Domini nostri. Mexici, apud Carrascoso 1715. in quarto. Extat t. 16. ejusdem Collect.

Heroicum motivum pro sublevandis animabus expiatorias penas subeuntibus. Mexici, apud H. V. Michælis de Ribera 1718. in quarto. Legitur tom. 106. memoratæ Collect.

Panegyrim in honorem primæ Sacratissimæ Triados Personæ. Mexici, typis Joannis de Ortega & Bonilla 1721. in quarto. Legitur tom. 11. dictæ Collect.

Theosophica, quæ e Cathedrâ tradidit, inveni præterimus Opuscula, quorum nos fugiunt nomina.

393 F. ANTONIUS SANCHEZ,